

909

Hist. Gall.
C. 374

H. Salla 919. 6

D. un. 1835 - 541

9. 6.
BIBLIOTHECA
GALLO - SVECICA.

SIVE,

SYLLABVS

OPERVM SELECTORVM,

QVIBVS

GALLORVM
SVECORVMQVE

Hac tempestate

BELLI Proferendi
PACIS evertendæ

STVDIA:

Publicè exhibentur.

ERASMVS IRENICVS collegit.

Accesit Prologus,

AD CONCORDIAM GERMANICAM
Adhortatio.

UTOPIÆ.

Apud UDONEM NEMINEM.

VICO VBIQVE.

Ad insigne Veritatis

Hoc Anno.

d.


BIBLIOTHECA
GALLO-SVEVICA
SYLLABVS
OPERVM SELECTORVM
GALLORVM
SVEVORVM

Quicquid agunt Hostes: Vis, Fraus, res Martis
& Artis,
Effugium pacis: nostri est farrago Libelli.

STEDIA
ERASMUS IRENICVS collegit
AD CONCORDIAM GERMANICAM

NOTA
ANNO MDCCLXXV
LUGDUNI BATAVORVM
IN AEDIBUS IANETII

LECTORI.


 Visquis hæc legis, si civis es meus, id est Germanus, aut Germanici nomi-
 nis studiosus, siste paulum, & huc animum ad ea quæ proloquor, adverte.
 BIBLIOTHECAM tibi damus, seu verius BIBLIOTHECÆ indiculum
 Monumentorum, nempe selectiorum, quæ hisce temporibus scripta, non scripta, edi-
 ta non edita. Ab Hostibus, vel de Hostibus sunt omnia & verè possum dicere, Nihil
 Materia ab illis, à nobis forma, novo quodam scribendi genere concinnata. Duarum
 gentium validissimarum facinora præclare gesta, hic congesta sunt, sed ea quoque, quæ
 non gesta, & non nisi cum scelere gerenda. Ferro scripta sunt quàm plurima, san-
 guine rubricata, cadibus evulgata. Latent alia, lucem expectantia, & si Deo placet
 nunquam visura. Cuncta ego calamo & chartis commisi & opusculo hoc, quasi pa-
 cis Belli, Breviario sum complexus. Quæ palam, quæ armis confecta, toti orbi nota
 sunt. quæ clam & occultis consiliis, opprimendæ patriæ nostræ conficienda, ea co-
 gnosci quoque, quam maximè inter est. Publica forsitan & illa sunt: sed ut magis
 publica sint Syllabo hoc, nundinali quasi tabella, repræsentò. Eâ de causâ per omnia
 ubique studia pervagatus sum. Bibliothecas omnes excussi, sed & ipsa secretiora par-
 tium tabularia perscrutatus sum, quæque ad rem spectare visa, capitibus strictim an-
 notatù excerpta, servato Alphabeti ordine, in corpusculum hoc redelegi. Sed quorsum,
 inquires, Hic spectat labor? Eò sanè ut cognitis hostium studiis, tua & popularium
 meorum studia juvarem. Indicium partibus functus sum, ut tu iudicis expleas, quid-
 que & à quò cavendum sit, cognoscas. Profectò non injucundam tibi bonique omni-
 bus, cogitationem hanc credidi, hoc præsertim tempore, quo Dei opt. Max. munere,
 tandem de Pace agi posse est concessum. Utinam adversarius visum esset, tam serio
 quam serò istam ingredi, neque Colloquij specie, re autem factionum, nobis sibi, ipsis
 fallaciam facerent. Etenim satis superque compertum est, illos non modò remoras omnese
 sed & cuncta, quàm maximè paci adversantia, meditari. Hactenus aperto Marte
 nos aggressi sunt, nunc arte opertâ insidias struunt, & rei sanctissimæ simulatione
 (proh facinus!) pulcherrimam imperij molem latentibus cuniculis student convel-
 lere. Pugnare, bellare hostilia agere, Hostium est, Belli componendi obtentu, peiora
 bello agitare, perfidorum. Nusquam gentium simile quid auditum nisi apud Pænos
 fortè aut Mahometanos, quorum illi quibuscum bellamus, aut Succedanei aut So-
 cii. Majores nostri, Virtuti omnia prona esse docuere, jamque olim apud Tacit (Ann.
 33.) ex. latarunt: NVLLOS MORTALIVM ARMIS AVT FIDE ANTE GER-
 MANOS

4.

MANOS ESSE. Nos degeneres (pudet dicere!) Bello nos vinci & pacis illecebris circumveniri, inermes & incauti patiemur? Si animus adsit, vires non desunt: ambigua si divisæ, acres si conjunctæ. Nos unus populus unus sanguis sumus, nos gentiles, nos cognati, nos fratres. Si resticuli vena ulla paterni in nobis ad huc vivit, cur non unitate & concordia, verè Germaniâ conatus spesque hostiles prævertimus? Animis armisque sociati; Membra in corpus unum sub uno capite (unicum discordantiæ patriæ remedium) dulci Harmoniâ compositis & libertatem quam nemo bonus, nisi cum vita simul amittit retinebimus; & pacem, bonum secundùm libertatem optatissimum, recuperabimus. Finio & Authoris, quem memoravi (Annal. 4.) verbis vocum addo **ET SOCIOS CIVES ET DEVM IPSVM PRECOR; HVNC, VT PROCERIBVS QUIETAM ET INTELLIGENTEM MENTEM DVIT. ILLOS, VT CVM LAVDE ET BONIS RECORDATIONIBVS NOMINIS SVI FAMAM PROSEQVATVR.**

I.

ANNALES TRACTATUM PACIS,
sivè, Relatio eorum omnium, quæ pro pacis Generalis colloquio facta, gesta sunt, cum rebus eo pertinentibus, in XII. volumina propter amplitudinem, ad instar Oceani Juris distributa.

Primum complectitur Præludia, resque præliminares, ab Anno Cl. ICXXXVI. inchoatas, ac tandem Hamburgi, exeunte Anno Cl. IC. CXLI. compositas. Opus tripartitum, de locis, Tempore, & Litteris fidei publicæ, seu, uti vocant, Salvis conductibus. Gesta Sexennij. Dimidio temporis, feriis in honorem Martis extra ordinem indictio, facile transacto.

II. Ratificationes Conventionis Hamburgensis, & Diplomatum commutationes. Gesta biennij.

III. Legatorum congressum & legitimationem: Mandatorum editionem, emendationem, novamq; Plenæ potestatis formulam. Novem circiter mensium gesta.

IV. Propositiones Pacis, die conductâ à Cæsarianis & Hispanis editas Magni ædificij fundamenta solida.

V. Postu-

V. **Postulata Gallica & Svecica**, seu nova praeliminaria Cæsarianis exhibita cum eorundem Repetitione Responsione Replicâ & Duplica.

VI. **Quæstiones de Nominibus & Titulis**, formulas dictionum; Civilitates morum. Ingressus & congressus & salutationum solemnities. Inanes legationum apparatus.

VII. **Ambiguitatum, Dubiorum, Cautelarum, Captionum Cavillationum, Tricarum, Technarum, Stropharum, Ludificationum, Dilationum, Protelationum, Procrastinationum, Reservationum, Simulationum**, aliarumq; hujusmodi rerum ac verborum farraginem. **Collectori- bus Pratifontio, & Milone, à Secretis Legationum.**

VIII. **Acta Legationis**, seu verius, **Ancillaris sequelæ Lusitanicæ & Catalaunicæ**. Titulus speciosus, & magni fastus in scriptio: Præterea nihil folia vacua magnis hiatibus plena.

IX. **Responso Gallica**, ad pacis proposititiones ab Hispaniensibus editas. Plurium mensium accoitionum foetus adulterinus, quæq; sequuta sunt.

X. **Priori cohærens Antiquarum lectionum libros continet**, vetera Regum Gallicæ aut Clientum jura non jura, in Regna quædam Italiae, Belgicæ Principatus, etiam ipsam Senensem Ditionem, jam dudum sepulta, aut pactis publicis obliterata, Eruta ex sacrosanctæ Antiquitatis tabulis, situ ac vetustate corruptis, productis è latebris Scrinij Regij, & Sabaudicæ, Mantuauæ, Lucemburgensis, Tremonicæ, aliarumq; familiarum Cartophylæcis.

XI. **Volumen**, ut diutissimè, & flagrantissimè à Germanis desideratum, quadri partitum est. **De Amnistia. De Restitutione. De Satisfactione. De Affecuratione.** *Tardæ incudis fabrica.*

XII. **Et Ultimum. Aureæ Pacis Capitula**, Opus centum millium votis, suspiriis, lachrymis expetitur. **Dabitur forte ad Kal. Græcas futuri sæculi, curâ Nepotum.** Omnia cum Testimonio Præsentium, Absentium, & futurorum.

Addita sunt Diaria Pacificationum sæculi superioris, nempe Madritianæ, Cameracensis Crepiacæ Castellii Cameraciaci, & Verninensis. Quarum aliquæ bimestri, aliæ trimestri, omnes semestri confectæ prostant omnia, postremo Volumine excepto, irenopolis, urbe utraq; in Officina Franco-Gothica **Ad insigne Leonis & vulpæ.**

II.

AUSTRASIÆ REGNUM, postliminio restituendum. De ejus antiquis finibus & amplitudine, extendente se ad totam regionem illam, quæ est inter Rhenum & Schaldim; & Helvetios, Tribocos, Vangiones, Nemetes, Menapios, Treveros, Tungros, Eburones, Ubios, Sicambros, Alvatios, Pleumosios, Mediomatrices, Leucos, Sclabos, aliosq; populos complectitur. Comprehensæ etiam civitatibus, quæ Rheni ripæ, quæ Galliam aspiciunt, proximæ sunt: Constantiâ, Basileâ, Argentorato, Spirâ, Wormatia, Moguntiaci Colonia, Agrippinæ, aliisq;.

Subjuncta est, Series Regum Austrasiæ, à Merovingis qui Francorum Regnum condiderunt, jam inde petita; & per carolovincos, ac plures quidem nothos Lodovicum Carolomannum & Arnulfum, deducta; usq; ad Othonem I. Henrici Aucupis F. qui Regnum illud divisit majore illius parte Lotaringiæ Duci. Imperij beneficiario attributa, nemine ex capetiana stirpe, quæ hodie Galliæ præest, in eâ conigito.

Supplementi loco accesserunt, Caroli Sigonij de Regno Italiæ libr. XX. Addita Dissertatione, an Regnum Italiæ, quod à secundâ Regum Galliæ familiâ jam olim processit, hodie quoq; Juris sit Gallici. Prostant Urbe Regia, Metis, sine meta, in officinâ Jacobi Cassani, ad insigne *Galli Gallinæ gemmam in sterquilinio quæritantur.*

III.

AUSTRIACÆ DOMUS convellendæ, aut atterendæ Molimina, Eruta ex secretiore scrinio Richeliaco & aucta scholiis Mazarinicis.

Adjecta, Beneficia & admiranda Gentis Austriacæ, in arctis dubiisq; rebus divinitus concessa: cujus fortuna semper magna, & in malis major. Descripta à p. Guilielmo Laimormani, è Societate Jesu.

Addita quoq; est: Explicatio Symboli, quo Fridericus III. Imp. uti solitus. A. E. I. O. V. *Austria erit in orbe Ultima.* Viennæ Austriæ. Ex officinâ Palmariâ, viâ, cui nomen *Nescit occasum.* Sub imagine *Pietatis & Justitiæ.* cum Symbolo: *fulcimina Regni.*

IV.

DE BENIVOLENTIA Regis Christianissimi erga civitates imperiales & Liberas Parænesio, scribente Adulatio Pseudolo. Accessere Tabulæ earundem Civitatum, cum formis arcium eis imponendarum, ac figu-

æ figuris æneis delineatis: Metis, ingenio 10. Fabert, Regij Machinarum
Architecti, Urbis & Arcis Sedanensis Præfecti.

Subjuncta Meditamenta Urbium præcipuarum Imperij, Gallix ma-
ximè congruentium, in Municipia (lege. Mancipia) redigendatum. Ha-
bentur Argentorati, apud Servium Ex-aquilium, Sub Iconismo *Equisonis*
Galliæ: cum Symbolo: *Do libertari frenum.*

Prodibit alia editio longè auctior, Francofurti ad Mœnum, Nundi-
nis forte proximis.

V.

CAUSSÆ NON CAUSSÆ, belli minimè belli. quo XXVI. per
annos ardet Germania, bis septem Emblematis repræsentatæ, cum fi-
guris, quarum que ex adverso, nudæ & non pictæ. Utrarumq; Lemmata,
ex centonibus potissimum Virgilianis petita sunt, quæ sequuntur.

- | | | | | |
|------------------------------------------|-------|-------|-------|------------------------------------------------------|
| 1. Religionis Amor | ----- | ----- | ----- | Magis & Regionis
Amore. |
| 2. Imperij Leges | ----- | ----- | ----- | Legionibus imperi-
tare. |
| 3. Publica libertas | ----- | ----- | ----- | Peregrini hoc nomine
nobis Servitium
imponunt. |
| 4. Patria tutela salus que | ----- | ----- | ----- | Hic Labor externæ
gentis. |
| 5. Miseris succurrere | ----- | ----- | ----- | Reddant ut mise-
ros. |
| 6. Cunctorum Jura tueri | ----- | ----- | ----- | Ut Cunctos per-
dant. |
| 7. Afflictis rebus adesse | ----- | ----- | ----- | Ut nova Regna pa-
rent. |
| 8. Adsumus auxilio | ----- | ----- | ----- | Non defensoribus istis
Tempus eget. |
| 9. Suspecta Potentia Gentis
Austriacæ | ----- | ----- | ----- | Sed vestra magis
Contraria facta
repono. |
| 10. Sic visum fatis | ----- | ----- | ----- | |
| 11. Non hæc sine numine
Diyum | ----- | ----- | ----- | Te faciunt, Fortu-
na, Deam. |
| | | | | 12. Sub |

12. Sub Clypeo ----- In nostras fabricata est
machina muros.
12. Bellandum Pacis studio ----- Diludimur ipsis pacis
imaginibus.
14. Artibus his ----- Atq; Arcibus istis.
priors sculps. *ἠλεονενεξία*; pinxit Fallacia. Posteriores, excudit veritas:
recudetejus parens, Tempus, Ære publico. Exempla prostant ubique
per Germaniam.

VI.

CHRISTIANISSIMI TITULUS, unde, &
quando Gallia Regibus attributus, quamq; vim habeat? Dissertatio Historico-Politica. Adjunctis Quæstionibus: An nomini huic conveniat, fœdera cum infidelibus inire. Christiani nominis hostem in Christianismum concitare. Transylvanum in Pannoniam immittere. Tartaros evocare. Christianos Principes ipso Christo nomine insignitos, inter se committere, Christianum IV. Dan. Reg. & Christinam Sveciæ Regin. Lusitanis Tyrannum imponere. Catalaunos in Regem suum armare. Batavos fovere, perduelles quoslibet, pessimo exemplo suscipere. Gehennam patrocinio Gallico securam, velle intercipere: Sectariorum mœnia, non templa, domi diruere; Militiæ, Urbibus bello captis, dogmata inducere. Ministrorum cathedras Brissaci, & alibi Libicis Gallicis decorare Calvinismum Legibus Imperij vitium Rhenanis ditioribus inferre. Templa, Cœnobia, ædes sacras diripere. Donaria, vasa sacra, Vestes, & Leipfana, militi alendo divendere. Ecclesiis Organa pneumatica, æra atq; marmora, detrahere. Justititiæ sacerdotes, exemplo inaudito, hospitiationibus pressos in exilium agere. Denique, supplicationibus pro pace intercedere.

Subjuncta est pro Coronide, de Titulo Advocati Ecclesiæ Augg. Rom. Impp. jam olim à primis sæculis proprio, Dissertatio, Cum quæsito: An non sit justum, Ecclesiam Advocato Patrono & Defensore opitulari? An non injustum, Primogenitum Ecclesiæ qui se nuncupat. id velle impedire? Veneunt in officinâ superlativorum positivo carentium. Sub signo *superficios sine solo*.

VII.

DE DURATIONE FOEDERIS GALLO-SVECICI.
Cujus nimirum Tabulæ ferreæ; Signaculum, sanguis Teutonicus. Pignus,

gnus, terrarum nobilissima Germania-Pignore discusso, reliquus Christianus Orbis. Testes, Ambitio & Avaritia, Tractatus novus, diu desideratus.

Subsequuntur Gallorum, Svecorumq; , paribus votis & viribus Imperium ambitiosè agitantium, corrivationes: & ob nimiam, horum ad Albinum, illorum ad Rhenum, potentiam, his suspectam, illis gravem, mutua æmulationes; jam pridem opertis odiis cœptæ, brevi in apertas inimicitias erupturæ. Cum Monitis & Exemplis, excerptis ex Relationibus Legationis Gallicæ duorum Claudiorum: Mimesij & Salesij. quorum hic in Aulâ Svecicâ nunc eam sustinet, ille jam nuper ad Septentrionem sustinuit.

Additæ sunt, Animadversionis Politicæ, ad duo prima Monitorum capita. Quorum unum est: Christianissimi Regis interesse, Sectariorum potentiam non crescere. Alterum: Svecorum Imperium Romano-Germanicum ad Gallos non transferri.

Corollarij loco, Subjunctus est, Discursus, de Vinariensis militis, qui reliquus est, à Gallis abalienatione: deque reconciliatione, diplomate Amnistie delata, per ejus Duces, qui supersunt, brevi acceptanda. Omnia simul edita Germanopoli: Apud Martios Rivales: Sub imagine, *Latronum de preda disceptantium.*

VIII.

DE ECCLESIA GERMANICA emendandâ, & ad normam Gallicanæ reducendâ Theologorum Gallie Censura: è Schedis Richelii recens eruta, & directâ Ludovico XIV. Regi Christianissimo, Ludovici Pij (cujus de reformatione abusu Cleri in Germaniâ, exstant Decreta) cognomini, & Successori.

Subjungitur, Consilium de pragmatica sanctione in locum concordatorum Nationis Germanicæ surrogandâ, tollendis Electionibus, abolendis Annatis, Sacerdotiis sine ætatis aut sexus discrimine conferendis. De Saeris venundandis. De disciplina Ecclesiastica, & moribus Gallicanis per Germaniam introducendis. Commentariis cujusdam Theologi Politici hujus temporis, dilucidatum. Cum Diplomate Parlamenti Regij ad annum.

Adjectum est aliud, de Principibus Germaniæ in ordinem redigendis,

B

dis,

10.

dis, & Parium Franciæ numero adscribendis. Lutet. Patrifiior. apud Herculem Gallicum. Sub icone *Tarquini superbi, eminentia papaverum capitæ decutientis.*

IX.

FACTIONUM MOTUUMQUE Civilium, quibus Gallia sub Regibus impuberibus afflictæ fuit, Epitome. Extat Mss. apud hæredes Colinos, brevi in lucem mittenda, cum dedicatoria ad proceres Galliæ.

Addetur explanatio, Eccles. cap. X, *Væ tibi terra, cujus Rex puer est, & cujus principes mane comedunt.* Meditatur Milnius Nazarius (Anagram.) Dabitur in insulis Halcyoniis, Maris Pacifici; apud *Neptunum fluctuum compositorem.*

X.

DE FATIS IMPERIORUM, deque Imperij Romano-Germanici Periodo. Et an vera sit sententia, Fato regi, vel fati destinari Germaniam, Dissertatio. Scribebat *Salus à nevo delirans* (Anagram.) Pro Additamento, junctus est libellus, De fati fatus. Cùm Comment. Servij, in illud *Æneid. Imperium sine fine dedi.* Omnia simul edita Gallo-Svecopoli, apud Rotarium instabilem; ad insigne *Fortuna stantis in præcipiti & retro labentis.*

XI.

FRANCO-GALLIA. Liber singularis, Franc. Hottomanno Ictō jam pridem conscriptus, de novo recusis & auctus Comment. amplissimo: De Francorum origine, migrationibus, occupatione Galliæ, quæ mutato nomine Francia vocari cœpta, deque Regni Franco-Gallici primordiis, ac gentis posteritate ex quâ totius penè Nobilitatis Gallicæ stirpes processerunt.

Adjunctus est Tractatus, de utriusq; Franciæ, tam Orientalis quam Occidentalis, conjunctione, ac novâ Galliæ in eis & trans Rhenanam divisione, in locum veteris cis & trans Alpinæ, surroganda. Deniq; de avitis sedibus postliminio repetendis. Opus novum seu verius interpolatum. Francopoli, apud hæredes Merovingiorum: ad insigne *Galli & cap.* Cùm lemmate: *ambobus commune genus.*

XII.

GALLIA PACIFICA, sive, relatio Pacificationum interventu Gallorum, (qui Regum & Gentium Pacis Belliq; Arbitri dici volunt) inter principes Christianos, novissimis annis, singillatim in Italia sancitarum.

Addi.

Addita sunt Gallicæ factionis Machinamenta. Quibus demonstra-
tur, bellorum omnium, quibus ardet Europa, Gallos esse authores, faces discordiarum,
seculi nostri turbines. Adductis exemplis, de principibus Germaniæ divi-
fis: Imperio Romano hostiliter impetito: Sveco in Germaniam evocato.
Ragoske Pannoniæ immisso. Turco in Italiam concitato. Lusitanis ac
Catalaunis ad rebellionem armatis. Neapolitanis, Siculis, & insubribus
sollicitatis. Baravo pecuniâ & copiis adjuto. Hassis in defectionem cor-
ruptis. Vinariensis militiæ reliquis ad transfugium coemptis. Alsatia
Lotaringiâ, vicinisque Rhenani Circuli regionibus subactis. Rusticis ad
Anisum in arma suscitatis, commissis inter se ad VII. trionem Regibus.
Angliâ factionibus scissâ, universâ deniq; Rep. Christianâ, extra Gallia fi-
nes, Gallorum, aut armis, aut pecuniâ, certe consiliis, concussa, Adjuncta sunt,
interiores litteræ: Secreta Legationum monita. Emissariorum relationes:
Bellicorum consiliorum acta, aliaque arcana permulta. Opus exasciatum
manu Riceliacâ, bellâ bellorum artifice: adauctum ministerio Josephico:
expolitum dolabrâ Mazarinicâ. Sumptibus, afflictæ Christianitatis. Cos-
mopoli, apud Societatem impiorum. Ad effigiem *Busiridis*.

XIII.

GERMANICI CÆSARIS, DRUSI F. Monumentum: de bel-
latis inter Rhenum Albinique Nationibus, ab Exercitu positum, ac Mar-
ti, Jovi & Augusto. (*Tacit. Annal. 2.*) Repertum in ruderibus Arcis, quæ
Moguntiaci exstruitur: quo loco olim castra Romanorum fuisse memo-
rantur. Inventore Vicecomiti Corvalio, Arcis præfecto, operarum ple-
bejarum, & olei, emundatore egregio. Luci datum & inscriptum Viceco-
miti Turenio E. T. *Dei Gratia* (non Franciæ) Duci Bullonio Principi Se-
danensi, A-Ducis & Ex-principis fratri natu minori. Gallo-Germanici
trans Rhenam exercitus, Ductori. Impio. Infelici, Devicto.

Subjungitur, de Vesperis Siculis in Rhenanas transmütandis Vaticini-
um: avorum memoriâ a Mathematico non vulgari scriptum, ad calcem
librorum Sibyllinorum, editorum Antverpiæ Anno CIO IOLXXXIII.
Ex officinâ Civicâ ad portam Kipdorpiam, sub effigie Francisci Herculis
Ducis Alenconij. Cuditur, cum privilegio juris divini & Humani apud
Victorem insolentem, sub simulachro *Nemesis*.

XIV.

GERMANIA ANTIQUA ET NOVA, Status Utriusq; Descri-
B 2 scriptio,

scriptio, de que hac ad normam illius reducendâ introductio Methodica. Cujus capita sunt: Concordia Germanorum, Harmoniæ divulsæ restauratio, Legum Imperij authoritas, Dissidiorum compositio, Animorum reconciliatio, pax interna, in commune consultatio.

Subsequuntur, Tabulæ legum fundamentalium Imperij. Aureæ Bullæ, Constitutionum, Pacis Publicæ, Transactionis Passavicæ, Pactorum Religionis, legis Cæsareæ aliarumq; Sanctionum Pragmaticarum, quas absoleta nomina quidam indignant, pristino nitore restitutæ & à mendis expurgatæ: rejectis Glossis Gallo-Svecicis textum ad instar Aurelianensis, corrupentibus, desumptis ex actis Concilij formati, & Concilii abuli Heibrunnensis, Malecontentorum, Excluserum, non reconciliatorum, reconciliationem respicientium querimoniis: Gravaminibus & controversiis publicis. Deniq; ex Hesso-Casselsium, Badeno-Turlachiorum, Nassavo-Sacræ-Pontanorum, aliorumq; in patriæ exitium armatorum Adversariis. Omnia studiosè collecta, studio Patricij Germani. Typis Teutonicis sub insigni *Palladij Germanici*, cum inscriptione *Moribus antiquis*.

XV.

GESTA DEI PERFRANCOS, five priscorum Francorum Bella sacra, & expeditiones in orientem, pro fidei Christianæ Regibus impositis; & ipsa Constantinopoli, Orientalis imperij sede, diutissimè possessâ.

Adjuncta est *Antithesis, Gesta impiorum per Francos*, sive Francorum hujus ævi, pro Christiani nominis hoste in principes Christianos concitando, machinationes. Exhibentur inter cætera Oratoris Gallici in Haye, ad portam Othomannicam acta Svecico & Batavo parariis, pro Turcicæ classis ad littora sinus Adriatici, inque Italiam descensu.

Præterea, acta fœderis cum Georgio Ragotzi Transylvaniæ Principe iniri & per eundem Oratorem Gallicum procurati, sub Hassæ & Batavorum rati habitione; constituto pignore Olomucio, ac Licentia Sultani Tyranni, per summum Vezirum Gallicis nummis corruptum, procuratâ: cujus paulo post, Deo Ultori, dignas cum Vitâ pœnas persolvit. Partiones quoq; cum Tartaris, habitæ, pro suppetiis Transylvano mittendis, ac per *Auxiliarium* stragem in Poloniâ acceptam, cui memoriâ nostrâ nulla similis, impeditis. Omnia ex Archetij po fideliter desumpta, & ex Turcico idiomate translata per M. D. Asquier interpretem Cæsareum

luxta

Iuxta exemplar Byzantij editum. Erant plurima Augustæ impiorum in officina *Degenerum*. Ad insigne *Liliorum marcescentium*. cum inscriptione, *Fuimus Troes*.

XVI.

DE HASSORUM CASSELENSIUM à Cæsare defectione, ejus causis & Authoribus. Deque eorum fœderibus Gallo Batavis, Scribente Joachimo Vicofortio, Hassicorum negotiorum in Batavis procuratore, & Gallico stipendiario.

Addita sunt, Acta transactionum cum Lantgraviâ tentatarum & conclusarum, sed Gallicis artibus, & pecuniâ interturbatarum. Cassellis. Apud viduam & hæredes Cattorum. Ad insigne *Luna aureis Gallicis coronata*.

XVII.

ILLUSTRUM CONTROVERSIARUM, ad pacis Colloquium quam maximè conducentium, Syntagma. Ubi agitur, de jure præcedentiæ, sedendi & incedendi prærogativâ inter legatos Regum, Principum & Rerum publ. De Titulo Excellentiæ, cum ejus amplificatione, novis scitis Scholæ Gallicanæ illustrato. De invisentium admissionibus. Qui sub Uranisco excipiendi? Quibus sedilibus? Quo serici genere oblectis? De VII. Virum Augustalium, qui non minores se Regibus ferunt, Dignitate. Incidenter quæsitum. An legato Ducis Allobrogum Principis & Vicarij imperij, Saxonicæ familiæ Surculi, plus honoris dandum, quam legatis Electoralibus? Insuper, De statu Principum Imperij, & an Italicis posthabendi. Et quid de Gallicis? Quis Titulus dandus Duci Longovillano, Gallicæ Legationis Principi?

Ex occasione quæsitum. An nova Bataviæ Resp. ex piscatorio & caseario populo conflata, Reip. Venetæ, Uti antiquissimæ, ita & nobilissimæ, circa honores sit adæquanda? Cum Examine nuperæ sententiæ Gallicæ, per Estradam ex breviculo recitatæ, latæ à iudicâ non judice, studio unius partis, reliquis inauditis, abrepto, indicta causâ; & si Deo placet, coram Electoribus, Principibus atq; ordinibus S.R. Imperij, aliquando revidendæ.

Ad calcem, assutus est libellus Gallicus Authore Sertâ. Inscriptus, *Nugæ Nugarum & vanitas vanitatum*, Prostant in Urbe Pacificatoriâ in officinâ *Phaleratorum*. Ad imaginem *Domitiani captantis muscas*.

XVIII.

DE IMPERIO CAROLI MAGNI, & Successorum: inter quos
B 3; nume-

numerantur quatuor Ludovici Imperatores, & Francorum Reges Authore Besiano Arroyo, Rhetore Lugdunensi.

Ad posita sunt testimonia, ex Scriptoribus Gallicanis excerpta, quibus probatur, Ludovicum XIV. Galliarum Regem non esse de stirpe Caroli Magni. Adjuncta Genealogia, qua apparet familias Astriacam, Saxoniam Lotaringicam Hassam aliasque, Carolovingis, multis gradibus Borboniam esse propinquiores. Collectore Alexandro Patricio Armacano. Cum approbatione. Doctorum Lutet. Parisior. Ex officina Censorini veri. Ad insigne *Corniculae, regis avium pennis vestita.*

XIX.

LIBELLI SEDITIOSI. Unius inscriptio est. *Avis des interese aux habitans des Pays Bas, qui sont sous la domination du Roy D. Espagne, par une personne Neutre.* Alterius. *Fin de la Guerre aux provinces qui sont sous ladite domination audit avis* Item *la Desiouverte des Profondeurs D. Espagne.* Ad ordines Populorumque fideles Belgarum, in Regem concitandos, clam Belgio immissi. Conscripti nomine Anonymo a duobus gente & munere sociis, quibus uti nullam in re, ita nec in hac praeterquam quod male scribant, bene convenit. Prioris Author est *Demeles Dumafius* (Anagr.) Posteriorum, *Nereus a bile* (Anagr.) Additum Sanctioris Concilii Regii Scutum, postulante fisci Patrono latum, quo libelli hi (a Pacis caduceatoribus ex ipsa Pacis urbe adversus Pacem submissi) severissime damnantur: Proderunt ex officina *Factiosorum*, sub imagine inversa fidei publicae.

XX.

LILIETUM SUPEREXCRESCENS, id est M. Antonij Arnaldi Scholae Sorbonicae Theologi, Paraphrasis ad illud Matthaei 6 27. *considerate lilia; quomodo crescunt.*

Ob argumenti vicinitatem adjuncta est R. P. Joannis Gans, e Societate Jesu, Conscientiae Caesareae Moderatoris explanatio, Matth. 22. *Date, quae sunt caesari, caesari, & quae sunt Dei, Deo. ex Bibliopolio justorum* Ad insigne *Aquilae volantis.* Cum inscriptione. *Hac caelo; illa solo.*

XXI.

LUDOVICI BORBONIJ, Ducis Anghiani, Regiae stirpis & Juventutis Principis, ad Rocrojam Triumphatoris; Theodonis-Villae & Philippopolis, Arcium fortissimarum, expugnantoris: Tribochiorum, Vangionum, Nemetumque Victoris, Pij, Felicis de prosperis ad Rhenum & Mosel-

Mosellam partis victoriis Encomiasticon. Scribente Girardo Adulantio, endeni à secretis.

Adjecta, Vitæ, res gestæ, atque exitus infœlices trium ejus nominis, qui omnes Ludovici Borbonij Anghiani Duces nuncupati, fato breves, ambitiosa morte, sed funesto exitu occidere.

Ad Calcem, addita Analecta funerum Patentalium, Elegiarum Epitaphiorum, ac Monumentorum Sepulchralium, insignis.

Nobilitas Gallicæ ductu Ducis Anghiani cæsæ. Ex editione Friburgensi in Brisgoia. Apud juvenalem prosperum. Sub icone *Fortuna Vitæ*. Cum Symbolo: *Cum splendet, frangitur.*

XXII.

DE MAGNITUDINE GALLICA. Ejusque comparatione cum Græcâ, Africana, Romana, & Turcica, commentarius amplissimus.

Additus est Tractatus, De eo quod interest, ad cunctos orbis Principes directus. Cuditur in Urbis & orbis officinâ, sub Balance. Prodibit proximè, Anno novo, *Sole ad signum æquatoris progresso.*

XXIII.

MARS SVECICUS. Sivè, Belli quindecennalis à Svecis in Germania gesti, Initia, Incrementa, & Progressus, cum præliorum, omnium Diario, maximè vero Putzoviani, in quo Rex Bellator occubuit. Additis causis, prout in speciem magnis nominibus propositæ sunt: nempe, Maris Baltici Securitas; Religionis Libertas: Amicorum auxilia; injuriarum Ultio & quæ inde pendent. Cum explicatione Symboli, quo Leonardus Dorstensonius, Svecici Exercitus Dux, uti consuevit: *Pro Ecclesia & pressa libertate.*

Accessit. Examen causarum, quæ reapse tales sunt; & primorum armorum, tota inde Germania circumlatorum, ansam dedere. Quarum præcipua ac maximè vetusta, Dominationis & Divitiarum cupido, Deo atque hominibus adversa. Deinde spes prædæ, rebus turbatis Cælum domiasperum, solum infœcundum; frigora, glacies & quicquid Uspiam horridum, aut incultum: Germania omnium toto orbe terrarum pulcherrima: Cælum mite, agri ubertas, gentis opulentia, quæ inde peperit egestatem: Regionum fertilissima Pomerania, verum pomum Eridis: Portuum, quos Germaniæ Portas rectè dixeris commoditas: Cuncta deniq;

niq; terrâ mariq; quàm maximè opportuna. Cum Præfatione ad VII. Viros Electores, Saxonem & Brandenburgicum, simulq; Saxoniz inferioris Principes, Evangelicæ Doctrinæ Columnas & Columnia. Pro Jaciniâ, additæ sunt causæ Belli Danici, ex eodem fonte deductæ, sed modo dissimili, spreto gentium Jure. Nullâ clarigatione præviâ, invalidâ religionis Societate & fœderum fide, clam & festinatâ irruptione in apertum positæ.

Opus ex ultimis oris Borealibus adductum, conscriptum pennis vulturum Aquilonarium, & Aquilarum deplumatarum. Publico datum, Typis ferreis, ex ære Svecico, in aurum atq; argentum Germanicum Verso, conflatis; Gladio, igne, fame, peste incis. Impressum tabulis non perituris: Urbium dirutarum ruinis & cineribus, superstitem Mœnibus. Dicatum Manibus tot Virorum fortissimorum, atq; Exercituum cæforum Auctum Scholiis, id est, Spoliis amplissimis, præliorum mercibus. Impendio maximo, ac vix alteri tolerando, totius Patriæ. Cusum in officinâ Germanicâ, cui appensa tabula *Germaniam in Germania querens.*

XXIV.

MOGUNTIACI OBSIDIUM, rerumq; in eo memorabilium auspiciis Ludovici Borbonij Ducis Anguiani gestarum, Mense VII. bri Clō 10. CXLIV. Relatio Historica cum descriptione solennis epuli convivialis, eâ captâ exhibiti summæ Ædis Decano & Capituli Metropolitanæ Primoribus, secundæ mensæ asidentibus Descripsit Octavianus ab Angelis Patricius Neapolitanus, ad fanum Bonæ spei Canonicus, Mazazinicus ad Rhenum Emissarius.

Ad calcem adjuncta est Homilia D. 10. Chrysostomi: *Nemo leditur nisi à seipso* Rmo Capitulo Moguntino inscripta: Opus excusum Moguntiaci sumptibus Civicis. Apud Gallum Philomelum sub icone *Aucupus*, Cum epigraphe: *Voluerem sic decipis.*

XXV.

DE MOMPENSERIE, Aureliani Ducis filiz, procis & ambitoribus. Deque ejus nuptiis, An Mantuz, An Berolini, An Olyssiponæ, An Oxonij, An Cracoviz celebrandæ; Consultatio.

Apposita est Consultatio Medica, de morbo quem vocant Gallico; ejusq; curatione, & remediis. An molli viâ veluti purgationibus, vel sanguinis

guinis missione: An durius incisione scilicet, cauterio vel ferro secanti, illi medendum sit; Conscripta à Regis Poloniæ & Sueciæ Archiatro celeberrimo, in usum Germanorum Editur in officina Alexicaca: cui inscriptum, *Amalo gallorum libera nos Domine.*

XXVI.

DE NEUTRARUM PARTIUM studio quod *Neutralitatem* Vocant: Et an ea Reip. benè fundatæ institutis, sigillatim vero Imperij legibus permissa sit, dissertatio politica.

Subiuncta est, explicatio fabulæ *Æsopicæ*, qua oves cum Lupis, canibus defensoribus imprudenter traditis, transgisse memorantur: quam populo Atheniensi ad exitium ruenti Demosthenes, quondam proposuit. Antiquæ editionis rarasunt exempla Recentioris, paulo plura. Novissimæ Treuirensis & aliarum, quam plurima. Edita expensis Patriæ Inscripta Serenis. Principi Wolfango Wilhelmo, Juliz. Cluiz. Montium & Neoburgi Duci, comiti Palat. Rheni. Veneunt apud Amphibios, fratres Germanos I quondam re & nomine, nunc altero tantum. Ad in signe *NAVIS* tempestate vexata. parte avulsa mergi incipiente.

XXVII.

NOVA NOVORUM, id est in fœlicis pugnae Cæsarianorum ad Opp. Tabor commissæ descriptio, in ponte Nouo Parisiensi, ad ravim vsque decantata.

Subiuncta est, Relatio cladis Gallo-Vinariensium apud Margenthemium in Franconiâ, ejusque cum aliâ ante annum Paulo amplius, ad Dulingam in Sueviâ acceptâ comparatio. Documenta geminata à Deo, Limites Imperiorum quos constituit, impunè non transiliri. Addito exemplo Romanorum ad Euphratem. Opus editum typis Boiaricis, in Officinâ sacrata *Deo Termine.*

XXVIII.

PANEGYRICUS, LUDOVICO XIV. Galliarum Regi Christianissimo; cum dictis & factis Bello & pace memorabilibus: Scriptus a Scipione dupleix, Consil. & Historiographo Regio.

Addita Patrum consultatio, de nomine ei decernendo exemplo Divorum Patris & Avi. An Pater Patriæ, Maximus, Pius, inclytus, Triumphator Germanicus; an Pacificus, sit appellandus? Accesserunt pro Ap-

C

pen-

pendice; Ælii Donati Rudimenta puerorum. Lutetiæ Arce Luparâ, in Bibliopolio Regio, cura Sebast. Cramoifis, Opus novum, nec hactenus Visum.

XXIX.

PARATITLA JURIS GALLO-SUECICI. In pacis Tractatione hætenus edita, turbato Ordine Titulorum, qui in libris juris leguntur. In primis Titulo *De justitia & jure*, qui principem locum tenet, expurgeto: eique suffecto Titulo, *de vi armata*. Titulis *de pactis de transactionibus, & de jurejurando*, in Cod. Gallico inter abrogatos positus. *De compensationibus* Titulus editur, prætermiffa L. Vlt. qua dicitur, possessionem alienam perperam occupantibus Compensationem non dari Titulus *de captivis*, qui inter postremos est, ante reliquos omnes collocatur Vtrimque proponitur Titulus, *De generali abolitione*. Inde *De restitutionibus in integr.* sed ejus legibus ad alium diem & Coss. nempe Anni XVIII. hujus sæculi, retroactis. Sequitur *De satisfactione*, seu Vt illi legunt *satisfactioe*. Inde *de sumptibus litium*. Addunt, & belli Titulo *de acquir. rer. dominio* adiungunt Titulos *de furtu vi bonor raptar rer. amotar. & de termino moto*. In Gallico Cod. subjungitur Titulus *uti possidetis*: Cum Titulo *de reb eorum qui sub tutela* postremus Titulus est *de scrutibus & de scrvis & mancipijs civitatum*. Titulus *de Pace constantia*, seu (Vt melior lectio habet) *constantia*, remittitur ad Titulum *de liberis & postumis*. Cum analysi famosæ illius toties lectæ, nunquam intellectæ, L. Gallus Sub eodem Titulo Accessere propter affinitatem; Novæ Grammatices initiamenta, de nominibus *Vis & ju*, Comparium litterarum, inter se conuertendis. Item novæ politices Regna Christiana, imo Christianissima, magna atrocina Velle haberi. Novæ item Theologiæ, *Iustitiam cælo relegare, Bellorum Divas terris inferre*. Editio nova, Ex Typographæo Adicæo Martialis Causamali, Sub scuto *Equi Trojani* cum Symbolo: *Ea gens sic fabricat equum*.

XXX

PARTITIO PROVINCiarUM orbis Christiani, per Gallos cum socijs concepta fœderis pretium, & Victoriarum præmia. Germaniæ cum Sueco; Italiæ cum Turco; Hispaniæ cum Brægantino; Hungariæ cum Transylvano; Poloniæ cum Tartaro; Britanniarum cum parlamentariis; Belgij cum Batavis Helvetiæ cum Allobroge; Circuli Westphalici cum

Haf-

Hæssis; denique totius orbis terrarum, nemini, nisi vni, ratione redditâ.

Accessit, Apologus Æsopicus, de pellis vrsinæ ante feram captam partitione, ac rixâ inter ipsos partitores. Lutetiæ parisiior ex officina Ambitij iniquietî. Via qua itur *ad spatia imaginaria* Ad insigne *Sabinorum pellibus incubantium* cum inscriptione *ipsi sibi somnia fingunt.*

XXXI.

DE QUATUOR SUMMIS IMPERIIS, quæ per IV. bestias de quibus Daniel cap. VIII. designantur, Io Sleidani libri IV. Additus est & V. tus De Monarchia Gallica, ejus gradibus & progressu. Coronidis loco & VI tus continens Prognosticon de ejus decrementis, & occasu.

Annexa lacinia loco *Europa triumphata*. Comedia è Gallico versa acta Ludis Luparensis, A. CIO ICCXLIII. Rege spectante, Aula plaudente, Edente Armando Cardinale Riceliaco sub exitu Vitæ, vti & scenæ. Lutetiæ parisiior Ex officina *Thrasonica* sub scuto, *Asini Æsopici insectantis Umbræ* cum Symbolo: *non sufficit unum.*

XXXII.

RATIONARIUS GALLICUS siue Commentarium quo vires ærarij opesque publicæ Regni Gallia, expensarum quoque rationes describuntur. Quantum Militum domesticorum, Exterorum, ordinariorum, Auxiliarium & Sociorum in armis sit. Numerus copiarum Legionum, Apparatum, Armorum. Quæ domi militiæque stipendia, quæque in Aulis exteris Germanicis potissimum, largitiones. Quæ tributa, vectigalia, portoria, census, salinarum proventus, indictiones, superindictiones, angariæ, captiones, aliæque, tam antiquæ quàm novæ, solitæ & insolitæ, voluntariæ & violentæ impositiones, quæcunque ab humano ingenio excogitari possunt, indictæ. Plebe Vanâ pacis spe ac specie illusa singillatim Vero, quæ ædificus Urbis Parisiensis (novo exemplo) impositæ deque modo collectandi XXI. Myriadas auri, jam dudum decantatas; ac mulierum tumultu parlamenti Curiam insedentium, corcendo, Consultatio. Insertus est index, seu Nomenclatura Præfectorum. Ærarij Thesaurariorum, Quæstorum, Argentariorum, Rationalium per Diœceses Actorum Fiscalium, Præstationum Coactorum, Accipitrum, Harpijarum, Gryphonum, Corvorum, Miluorum, aliorumquæ ejus generis hominum cum senis manibus, genere Geryonaceo, sine fine dicentium.

C 2

Adje-

Adjectæ quoque sunt Lachrymæ Populi Gallici, Ultrâ quam ferri potest, onerati, ac sub jugo fatiscentis, & inclamantis: *Pacem pacem*. Cum libello inscripto: *Vox sanguinis vox orphanorum*. Prodiit polemopoli, ex officinâ Paupertatis & Impotentia. Πενίας κ̅ Απορίας. Ad insigne, Galli ex-offati.

XXXIII,

REGUM SUECORUM, Gothorum & Vandalorum series, à primâ origine Usque ad *Gustavum Adolphum* Regem postremum, longo ordine deducta, ex diversis rerum VII-trionalium vicinorumque populorum Scriptoribus. Dedicata Vladislao Sigismundo, Poloniae & Sueciae Regi Subjuncta est. Consultatio Rectorum & senatorum Regni de Christianâ Regis Gustavi filiâ Regina designata maritanda, An indigenæ, An extero, & cui cum concluso, de Batavis in Paranympnos. Parlamentariis Britannicis in Pararios; Baltici Maris Civitatum legatis, in testes assumendis.

Avolarij loco, addita sunt vita & Elogia Elifabethæ Anglorum Reginae, omnium quæ vnquam sceptrum manibus gestarunt gloriosissimæ & fecelicissimæ, quæ in calibatu consenuit. Edita curâ Axelij Oxenstern, Regni Suecici Cancellarij Holmiæ ex officinâ Parthenicâ Sub scuto *Trium coronarum cadentium*.

XXXIV.

SEIANUS GALLICUS, Petti Matthæi Historiographi Regij siue Concini Conchini, Marchionis Ancotitani E. T. genus, vita, mores, potentia fastus, Artes dominationis parendæ, denique & exitus. Historia Tragica ex Gallico translata & de novo excusâ, cum præfatione ad Iulium SR. E. Cardinalem Marazinum.

Addita sunt Parallela ejusdem Cardinalis & Cigalæ. Quorum hic Imperij Turcici summus Vezizus ille Gallici Minister primarius Vterque Purpuratus, alienigena, insulanus, & siculus Vterque orbis Christiani perturbator, in Vtrumque pares coniurationes paria fata. Lutetia Parisiorum apud Peregrinum infestum, sub imagine victimæ, inscriptâ: *Hodie mihi, cras tibi*.

XXXV.

SECRETA SECRETORUM, id est Meditamenta scederum arcanorum à Gallis Suecisque pro capiunda Europæ Dominatione conceptorum. In primis Turcico-Perfici pro Sicilia Sardinia, Corsica Melita inuadendis: Apulia, Hetruria, & Liguria oris de vastandis: Transylvano-

Tarta

Tartari , ac Rusticorum ad Anisum tumultuantium, contra Austriacos: Moscovito-Bataui contra Danum : Batavo-Lusitani contra Hispanum: Batavorum adversus Imperium, Parlamentariorum contra Anglum: Poloni, Ut ab Austriacis, dividatur: denique ordinum Imperij, ut ab imperatore & imperio deficient. Subjecta sunt Anti-Meditamenta fœderum contrariorum pro pace, tranquillitate, ac securitate publicâ initorum vel in eundorum Nempe Pontificio Cæsareum Principum Italiae, Pacem orbi deposcentium: Regum VII. Trionialium Civitatumque Vandalicarum, ad vindicandum Libertatis Germaniæ decus: Dani cum Mosco: Principum & civitatum imperialium Augustanam Confessionem profitentium, adversus proterviam Gallicam: Hispani cum Dano: Eiusdem cum Florentino & Genuensibus. Cuduntur secreto in folio, cum magnis marginibus. Eleuthero poli apud Pacium Cosmophilum, sub simulacro fides cui subscriptum: *Hæc fœderis arca.*

XXXVI.

SUECIÆ GENTIS VETUSTAS, jam inde à Gothis deducta à quibus hodie præcipua inter Hispanos Nobilitas originem suam repetit. Descripta quoque est virtus Militatis, quâ Gallias aliquando subjugavit,

Adjecti sunt Commentarij amplissimi De Nationis ferociâ superbiâ, perfidia, in solentiâ populationibus, in quiete prædandi studio, & alienas terras quærendi cupidine, Gesta quoque Gothorum, Vandalorum, Hunnorum, Gæpidarum, Visi-Gothorum & vestro-Gothorum, aliorumque populorum VII. trionialium, cum Gestis Sueonum nostri temporis, comparata. Inseto Ericij Puteani Comment. de Irruptionibus Barbarorum.

Accessit Index Urbium, Arcium, Vicorum, Locorumque à Suecis everforum, nullâ Electorum aut Principum Religione ac fœdere conjunctorum ratione habitâ Extabularijs Germaniæ, Saxonis præsertim, desumptus. Prodiit in Noricis Typis Leonis Dorostenidis, apud Argitopilum sub scuto flagelli Dei.

XXXVII.

DE TRANSLATIONE IMPERII, ad Germanos, Roberti Bellarmini Politiani S. R. E. Presb. Cardinalis Tractatus. Additis Quæstionibus, antea non editis: An translatio ea tam activè, quam passivè facta sit. An Rex Franciæ possit eligi imperator? An eligendus Imperij Hostis, quique ar-

mis, & titulo successionis hereditariæ, illum sibi vult asserere? Subjuncta est, Cæsaris Oudin Regu linguarum interpretis Grammatici Germano-Gallica, in gratiam Ludovici XIV. Gallix Regis composita & dedicata Marchionissæ Seneceæ ejus moderatrici Lutet. Parisior Typis Regiis.

XXXVIII.

TURCICI IMPERII ET GALLICI, prout nunc sunt tempora comparatio. Vbi de Vtriusque gentis Amicitia, fœderum necessitudine, pari Regiminis formâ simili Tyrannide, perfidiâ, dominandi lubidine, avaritia, bellandi studio: deinde et gentium reliquarum odio. Additis Exemplis de similibus Administratorum præceptis: Cives domi, bellifinitimos fatigare: Deum hominesque temnere. Jus in armis habere nullos imperiorum, nullos Iustitiæ limites ferre: fide Punica vti, Sacramenti religionem susque deque habere: Pacta non pacta velle omnia ducere, rapere, trahere; prædis populationibus fœdare ferro flammaque sævire: Ecclesijs Catholicorum vt in Vrsellensi exidio nuperrimè factum, ignem iniicere: Regni extrema dehonestare: Nobilitati non parcere. Militem duriter habere: Fiscum qua jure, qua injuria augere: Tributorum iniquissimis exactionibus Provincias laceffere: Prætorianas cohortes? præcipuum potentix robur habere: postremo, Vicinis servitutum, cunctis Bellum sempiternum parare.

Adjecta sunt quæ hoc anno inter principes Christianos, de exercitu contra communem Christiani nominis hostem conscribendo, actitata sunt simulque pro anno fortè sequenti contra Gallos eorumque affeclas, Christianæ Reip. perturbatores, pro communi tranquillitate, arma parantur. Omnia studiosè collecta, & litteris mandata per Theophilum Publicolam. Ex Bibliopolio Capitolino Sub Titulo: *Classicum belli sacri.*

XXXIX.

VINDICIÆ LIBERTATIS GERMANICÆ, Armis Gallicis & Suecicis, speciosis nominibus, prætensæ per Armandum Ferromum Beljarminum. Accessit, Monitio ad Principes & ordines Imperij, de externa Dominationis jugo excutiendo cum Appendice Scti in Gallia VI. Kal. Quintal. Clō 1^oXCIII. lati de mutua erga patriam charitate: Odijs, simulatibus, ambitione, cæterisque, quæ bella civilia adferre solent, procul habitis: Deque legibus fundamentalibus Regni factionibus scissi peregrinis

nis

.23

nis amoris conservandis Scribente Fido Patriophylo; Augustæ Germanorum. In officina interiori Aquilij Pacati sub scuto *Pilei inter duos pagones*. Cum Symbolo: *si quis amor patriæ.*

XL.

VIA IRENICA, vel potius **IRONICA**, id est, **Media Pacis Generalis** conciliandæ, ex actis rerum à Gallis Suecisque in pacis Colloquio gestarum, collecta, Capitum hæc summa est. Legatorum fallacia: Vultum non mentem bonam ferre, testudineum grandire gradum ordinum Imperij, Maximorum Medioximorum, Infimorum, Univerforum & singulorum (quod Cæsaribus vix concessum) conventum agere trinis citationibus ciere: Ope consilio, sed & iudicio eorum velle vti, obtendere: Vocare in partem victoriarum. Non cum Cæsare de pace agere, sed tanquam inter Cæsarem atque ordines, transigendum esset, Disceptatores se exhibere. Municipales Legationes adsciscere; Eandem vsque quaque cantilenam occinere. Quæ extrema in Tractationibus esse solent, prima petere: belli causas, Bello non composito sibi apponi, postulare: Omnes retro Paces habere; Generalem aspernere. Singularis specie singulos circumvenire. Omnia denique gentium iura infringere. Dum verbis pax nuntiatur, re ipsa bellum asperimam gerere: Iram non ponere, sed augere. Belli promovendi colorem obtendere ad pacem, quam ipsi nolint, alios cogendi. Ex rebus secundis, in iustitiam Armorum metiri. Coronæ bona pro Bello alienare; Erepta, Rege im pubere restituenda & esse, decernere in ipso pacis Colloquio Belli semina agitare: Cum focijs foedera aut firmare, aut sanare. De sektionibus quærere ipsum Pacis Arbitrum Bello aggredi. Scribente Mercurio Vertumno.

Appendicis loco, subijuncta Opuscula duo, Vnum, Chorea Gallica, sacrata Paci, ab Exilio in scænam protractæ Europæ lugentis sarcasmus. Saltata Bacchanalibus, in Atrio cuius portæ inscriptum. Hic toti illudatur orbi. Alterum, cui Titulus: **Concordia Discors** id est. Oratorum Pacis dissidia contentiones, iurgia, mutuarum accusationes, & ipsorum Compositorum in cassum tentata Compositio, veneunt in Metropoli Westphalorum, in Armorum officina: Cui foris appensum signum *Caducei*.

ELEN-

ELENCHUS OPERVM BIBLIO-THECÆ GALO-SUECIÆ.

PROLOGUS	fol. 3.
CAP. I. Anales Tractavum Pacis	5.
II. Anstraliæ regnum.	6.
III. Austriaca domus	7.
IV. Benivolentia Gallica erga civitates imperij.	8.
V. Causæ Belli Germanici	ibid.
VI. Christianissimi Titulus.	9.
VII. Duratio foederis Gallo-Suecici	10.
VIII. Ecclesia Germanica	11.
IX. Factiones civiles Gallicæ	ibid.
X. Fata Imperiorum	12.
XI. Franco Gallia,	ibid.
XII. Gallia Pacifica	13.
XIII. Germanici Cæsaris monumentum,	ibid.
XIV. Germania antiqua & nova.	14.
XV. Gesta Dei per Francos.	15.
XVI. Hassorum Casselensium defectio.	ibid.
XVII. Illustres controversiæ circa pacis colloquium	16.
XVIII. Imperium Caroli magni.	17.
	XIX. Li-

XIX.	Libelli seditiosi Belgio immissi	ibid.
XX.	Lilietum super ex crescens.	ibid.
XXI.	Ludovici Borbonij ducis Anghiani Enco- (mium 18.	
XXII.	Magnitudo Gallica	ibid.
XXIII.	Mars Suecicus.	19.
XXIV.	Moguntiaci obsidium	20.
XXV.	Monpenseriæ nuptiæ	ibid.
XXVI.	Neutralitas	21.
XXVII.	Novanovororum	ibid.
XXVIII.	Panegyricus Ludovici XIV.	ibid.
XXIX.	Paratilla juris Gallo Suecici.	22.
XXX.	Partitio Provinciarum orbis	23.
XXXI.	Quatuor summa imperia	ibid.
XXXII.	Rationarius Gallicus	ibid.
XXXIII.	Regum Suecorum series.	24.
XXXIV.	Seianus Gallicus	25.
XXXV.	Secreta Secretorum	ibid.
XXXVI.	Suecicæ Gentis Vetustas	26.
XXXVII.	Translatio imperij ad Germanos.	27.
XXXVIII.	Turcici imperij & Gallici comparatio.	ibid.
XXXIX.	Vindiciæ libertatis Germanicæ	28.
XL.	Via Irenica,	ibid.

D

HA

Ad Principes Germaniæ.

FInem fecit indicis sui Erasmus, vos à fine Principes principium sumite, & quæ monstravit monstra, ab ijs abhorrete; quæ in rem & salutem patriæ, ab ijs Patres esse patriæ discite Quid enim?

Εἰρήνη quid sit, si quid sit, nostis, Erasmus.

Εἰρήνικος quis sit, scietis, hic Erasmus.

Mus erat *εἰρήνη*? fuit herclè ex vero nimis, & est etiamnum, eritque post, heu diu nimis, nisi vos ne vultis. Quid loquar, videtis, si vbi mus habitat, tenetis: Nec certo loco, nec regione recta latet: & hoc etsi nulli non patet: Vbi lateat, idadeo nulli patet. Vulgaris jam planè sum & frigeo, dum hæc ego vobis. Quid enim vos hic latet mus *Εἰρήνικος*? simulatione est quicquid hujus est aut dissimulatione, aut similtate etiam & verius. Quid consilij? indicat id Erasmus suo indice: speculum obijcit; Vos nisi cæcutire à vobis vultis perpetuum, speculamini in speculo objectum, quid abire, quid in rem, quid in perniciem fiet. Neo umbram tamen in speculo solum propositam esse putetis; rem ipsam, gesta, gerenda, facta futura intuemini in specula omniâ omnia constituta O miseros; non hæc vos intueri, vnde liberos, vnde patriam vnde libertatem tuei potestis? supplicem patriam, supplicem pacem, supplices Vobismet vos ipsos non respicitis? quod vobis precamur.


cam.

camini, quod à vobis petitis, cur iisdem vobis negatis ?
O Germanos jam non Germanos ; qui tam ab re abie-
runt, cur nomina servant ? En Germani sint & plus
quam hostes dissideant ? & hoc quod hostem juvet ?
Tandem quæsumus nebulam dispellite, oculis fasci-
num auferte, & veritatis facem, pacis lucem ipsi vobis
prælucete. Rogat patres suos patria, rogat Germanos
Germania: Pacem nimis jam nimio murem, è latibulis
excutite; neque hunc Erasmus, ducem duces sperni-
te: ne negligite Principem Irenicum Principes in Ireni-
cum Concilium conscripti,

F
I N I
S

canini, quod a vobis petitis, cum illis vobis ne gatis
Germanos non Germanos; qui tam ab re adie-
runt, cum nos non Germani sint & plus
quam hostes distendant; & hoc quod hostes fuerit
Tandem quicquid vobis distendit, oculis facti-
sum auctore, & veritatem, pacis lucem ipsi vobis
praeferat. Rogat pariter vos, rogit Germanos
Germanos; Pacem nunciam nunc nunc, & laetitia
excipit; neque huic Basiliam, ducem ducet ipse
re: ne negligat Principes nunc nunc nunc nunc
cum Consilio consilii

F
INI
S



Hgam C 374

